

medum hominem minuat, lucem, vitam et libertatem pro eo spargit, et nul-
lum praeter illud cordi hominis satisfacere valet. "Fecisti nos ad Te",
60 Domine, "et irrequietum est cor nostrum donec requiescat in Te" (31). 65/11

19. (De Deo ab hominibus agnoscendo). (Proh dolor) multi ex coaevis
nostris intimam ac vitalem hominis cum Deo habitudinem nullo modo aut
non recte percipiunt. Unde diversi oriuntur modi cogitandi et agendi,
qui se invicem non necessario excludunt, vel immo aliquando in invicem
5 implicantur, sed omnes circa veram relationem hominis ad Deum errant. | inimpl

Apud plures legitima aspiratio ad autonomiam difficultatem susci-
tat contra qualemcumque a Deo personali dependentiam. Inter illos quidam,
plus minusve conscie, contra fidem in Deum fiduciam in hominem exaltant,
magis affecti, ut videtur, ad affirmationem hominis quam ad Dei negatio-
10 nem. Sunt qui censent hominem omnino nihil circa hoc problema affirmare
posse. Alii Deum sub tali forma repraesentant, ut Eum repudiantes, nul-
lo modo Deum Evangelii reiiciant. Alii quibusdam humanis bonis caracte-
rem absolutum imprimunt, qui non nisi Deo iure agnoscitur, ita tamen ut
illa bona Deo substituantur. Multi in vita sua nullam sibi de Deo aut
15 religione quaestionem ponunt. Plurimi, praesertim pratico materialismo
dediti, omnem inquietudinem religiosam a corde suo arcere conantur, ac
huius generis quaestiones data opera vitant. In quibus deviationibus
credentes forsitan non omni responsabilitate carent.

Omnis homo interea, ipsa sua existentia, sibi ipsi remanet quaestio
20 insoluta; quibusdam tamen momentis, praecipue coram maioribus vitae even-
tibus, nullus praefatam interrogationem totaliter effugere valet. Cui 1?
quaestioni solus Deus respondet, qui ad profundiorum reflexionem et hu-
miliorem inquisitionem hominem invitat.

19b. (Problema atheismi). Comperimus tamen plures systematicae Dei
25 negationi adhaerere; quod inter gravissima huius temporis facta numeran-
dum est.

PATRIMONIO UC

Atheismus quidem plures induit formas, non simpliciter ad invicem
reducendas. Principalior forma facta est doctrina officialis quorundam
Statuum qui ad eam imponendam vel sustentandam ad coactionem legalem re-
30 currere non haesitant.

Secundum hanc ideologiam, homo ut se a vinculis suis liberet, Deum
veluti creat in spatio illo vacuo, ab alienatione bonorum proprie huma-
norum inducto. Homo deinde isti suae imaginationis figmento, scilicet
religioni se subiicit, sicque vivas suas vires ab earum reali fine de-
35 torquet. Ab huiusmodi alienatione ac servitute homo enixe liberandus est,
ut omnem energiam suam profectui oeconomico ac sociali consecret ac fe-
licitatem suam his in terris constituat.

Quapropter, ut fides ex corde multitudinis extirpetur, atheismus
ille argumenta pseudoscientifica invocare non cessat omnibusque mediis
40 utitur, etiam talibus quae dignitati personae humanae graviter offendunt.
Pro Deo tamen vivente numerosi martyres in faciem mundi praeclarum reddi-
derunt et reddunt testimonium; et eloquentissimum persecutoribus praebue-
runt responsum. Deus quidem solus corda scrutatur. Ecclesia autem, fi-
deliter tum Deo tum homini addicta, desinere non potest quin perniciosas
45 illas doctrinas actionesque dolenter sed firmiter reprobet, quae univer-
sali experientiae humanae contradicunt, hominem ab innata sua excellentia
deiciunt Deique honorem laedunt.

Quo iure rectores civitatum inter homines credentes ac non creden-
tes discriminationem instituunt? Quare iura fundamentalia personae huma-
50 nae non agnoscunt? Ecclesia, atheismum reiiciens, sincere agnoscit ho-
mines omnes, credentes ac non credentes communiter in hoc mundo habitare
omnesque ad hunc mundum aedificandum open conferre debere. At creden-
tibus hominibus etiam sincere permittatur ut in hoc mundo Dei exstruant
templum, communitatem scilicet christianorum in Ecclesia congregatorum.
55 Ecclesia apprine novit se cum secretissimis humani cordis desideriis
concordare, quando vocationis humanae dignitatem vindicat, sicque illis
qui iam de altiore sua sorte desperabant, spem restitui. Nuntium eius,